



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 62. Tres Principes Ecclesiæ rebelles excommunicati

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.  
A. C. 1462.

§. LXII.

*Tres Principes Ecclesiæ rebelles excommunicati.*

Hoc anno feria quinta Majoris hebdomadæ Pius Pontifex publice innovavit anathematis sententiam, quæ jam antea pronunciata fuerat in Sigismundum Austriacum, Gregorium de Heimburg, & alterum Sigismundum Malatestam Ariminensem Principem, necnon adversus ejusdem fratrem Cæsennæ Rectorem, qui ambo sæpius requisiti, debitum Ecclesiæ Romanæ censum persolvere contempserant. Cum vero Ariminensis omnem Religionis sensum abjecisset, & immortalitatem animæ negasse convinceretur, hæresis damnatus fuit, ejusque effigies publice ante gradus Basilicæ S. Petri combusta est. Ipse autem, cum a copiis Pontificiis apud Senogalliam cæsus, Arimini obsideretur, ac ex omnibus Ecclesiæ bonis, quæ usurpaverat, nonnisi plura admodum castella possideret, his angustiis pressus, summi Pontificis clementiam exoravit, obtinuitque veniam, ea tamen lege, ut per suos Procuratores in Basilica S. Petri in die festo, dum res divina ageretur, palam profiteretur, quod errores fidei, de quibus accusatus erat, asseruisset, demum  
vero

vero illos abjuraret, atque id ipsum per se Arimini ageret: hanc autem urbem ex benignitate Apostolica-Vicariatus nomine rursus acciperet, deinceps vero quotannis mille aureorum censum Romanæ Curiae penderet, quamvis ceteroquin criminis læsæ Majestatis tam divinæ quam humanæ reus fuisset. His adimpletis, Malatesta sub Venetorum signis in bello Peloponnesiaco contra Turcas ingenti fortitudine militavit, ac demum Arimini vita excessit.

*Sæcul. XV.  
A.C. 1462.*

§. LXIII.

*Turcarum progressus contra Christianos.*

Interim in Hungaria bellum cum Mahomete II. exarsit; Turcæ enim, quamvis non nisi levia cum hoste prælia committerent, & decretoriæ pugnae discrimen sedulo declinarent, nihilominus haud exiguam Hungariæ ac Walachiæ partem occupabant, & Transilvanensem ingressi Provinciam, impositis ubique tributis, opimam inde prædam asportabant, Dalmatiam quoque crebris excursionibus depopulabantur. Ceterum inter præcipuas, quas hoc anno Mahometes reportavit victorias, merito recensenda est expugnatio Insulæ Mitylinensis, quæ alio nomine Lesbos dicebatur.

*Comm. Pii II  
lib. 10.  
Bonfin. 3.  
decad. 10.  
Chalcondyl.  
l. 9. & 10.*

§. LXVI.